



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

A. Diss. 7854

Q. D. B. V.

DE EO,

QUOD HOMI-
NEM OMNI EX PAR-
TE FELICEM ATQVE BEA-
TUM FACIT,

APPROBANTE

Amplissimo Philosophorum Senatu,

In Academia Lipsiensi,

P R Æ S I D E

M. IMMANUELE PROELÆO,

Stolp. Pomerano,

EXERCITATIONE MORALI

IV. Mensis Junii die

H. L. Q. C.

instituenda, differet

R E S P O N D E N S

GEORGIUS HEINRICUS AYN, Sommerf. Siles,
Philosophiæ & Medicinæ Studios.

LIPSIÆ,

Literis JOH. CHR. BRANDENBURGERI.

STAATSBIBLIOTHEK
REGENSBURG

Digitized by

Google



A. Ω.

Vitam quæ faciunt beatiorem.

MOn fils, écoute, je te prie,
 Ce qui fait une heureuse vie,
 * Point de souci, point de procès,
 Un feu qu'on n'eteigne jamais;
 Aisés de bien acquis sans peine;
 Un air aisé, point de Climene;
 Des amis egaux. ** Le corps sain.
 *** Etre [1.] prudent (a) sans être fin,
 Peu de (b) devoirs, point (c) de querelles,
 Peu de (d) viande, mais naturelles:
 Une [2.] femme de bonne humeur,
 Mais au fonds pleine de pudeur:
 Etre (3) complaisant & facile:
 Un (4) sommeil pas long, mais tranquile:
 **** Etre satisfait de son sort
 Quel qu'il soit, ne s'en jamais plaindre;
 Et regarder venir la mort
 Sans la desirer ni la craindre.]

S. BONUM.

* JURIDICUM s. Fortu-
 tuse.

** MEDICUM s.
 Corporis.

*** PHILOSOPHI-
 cum s. Rationis.

[1.] Ethicum, ubi
 (a) prudentia (b)
 Officiositas (c)
 Justitia & (d) tem-
 perantia.

[2.] Oeconom-
 com.

[3.] Politicum.

[4.] Physicum.

**** THEOLOGI-
 cum s. Animi.

A 2.

DIS-

DISSERTATIO MORALIS

De eo,

Quod hominem omni ex parte felicem atque
beatum facit.

I.

Finis actio-
num hu-
manarum
est felicitas
& beatitu-
do.



Um plerique mortalium utilitatis & obtinendi
alicujus commodi spe ad agendum solliciten-
tur, tum universa eorum studia, præcipuum
hunc laboris fructum generatim sibi depo-
scunt, ut in omnibus, quæ conantur, se beatos
atque felices intelligant. Cujus asserti veritas

sine omni exceptione est. Videre id licet non apud eos tantum,
qui aliqua blandientis felicitatis ratione commoti impelluntur, vel
ad cumulandas divitias, vel ad acquirendos honorum titulos, spre-
tis sudoribus & molestiis; sed illi etiam, qui ineptiis & operum
stoliditate memorabiles sunt, per id ipsum se felices putavere.
Aristomachus (a) Solensis in natura muscarum indaganda, puli-
cumque salibus metiendis sexaginta annos insumpsit. *Demonides*
(b) porcorum grunnitus imitabatur, & grana ciceris è spatio lon-
giori missa in acum inferebat. *Delus* ovorum discrimina solcite
indicabat, & profecto *Myrmecidi* quadrigas fabricanti quas musca
alis contegere posset, exprobrationem ineptæ curiositatis levio-
rem fecit; *Quam Nero* (c) Imperator cum impudicitia & sævæ
libidinis crimine effugere non potest, cum fæminarum & virorum
ad stipitem allegatorum ingvina, pelle feræ contactus ac emissus è
cavea, truci urli in vicem invaderet. Quarum actionum pretia,
quæ sibi statuerint auctores, si investigare velimus, aut rationes,
quibus ad desipiendum inducti fuerint, cognoscere, non aliam sane
inveniemus, quam quod paria perpetrando, se felices aliquo
modo crediderint. Quæ tamen eorum concepta felicitas, quo-
niam ex eruditione *stultorum*, (ut verbis sapientissimi (d) *Salom-
onis* patet) profecta fuit, mirum videri non debet, quod eodem

Solida non
obtinetur
ineptiis,

Rege

Rege (e) dicente, *quies fatuorum eos interfecerit, & tranqui-
litas stolidorum perdidit, ut expertes eruditionis mortui fuerint.*

- (a) Edm. Richerius in Obstetrice animor. cap. 2. §. 3.
- (b) Junius Orat. de Modestia in appetendis honoribus, Argent. part. 3. p. 383. (c) Svetonius cap. 29. & Lippius de Cruce lib. 3. cap. 11. (d) Proverb. VII. 22. (e) Prov. I. 32. & cap. V. 23. secundum Junium & Tremellium.

II. Meliorem vero sortem mereri certe illi videbantur, qui cum serio animum appulissent, tum ad cognitionem sui, quod præstantissimum sapientiæ studium est, tum ad rerum extra se positarum, atque interim in universa istorum consideratione verissime illud à Poeta (a) dictum deprehenderent,

In dubium
vocatur ab
aliquibus
eruditis.

*Nil est ab omni
Parte beatum,*

existimarunt, aut nullam beatitudinis adipiscendæ inter sapientiæ studiosos dari scientiam, aut si quæ hujus extet persuasio, eam talem esse, qualem pro ingenio quilibet imaginationis viribus instructus, & in otio atque nulla rerum necessitate constitutus, comminisci facile posset.

- (a) Horatius Carm. l. 2. Od. 16.

III. Quæ de Beatitudine morali opinio ex *duplici* potissimum *ratione* homini erudito, & ultra vulgi imperitiæ sapienti, nunquam non in mentem venire potest. Non commemoremus, quod plurimi Philosophorum disciplinam suam non legem vitæ, cujus decretis sibi ipsis obtemperandum sit, sed ostentationem scientiæ (a) putent: quod nonnulli etiam quæsitæ veritates confundant, (b) & unius æstimatione justo ampliori alterius debitum pretium inconsideratè abnuant: (c) Causæ existimationis hujus malignæ imprimis sunt, eorum, qui præcepta moralia tradunt, in definiendis rebus *dissensio*, & quæ hanc ut plurimum comitantur, *contentiones*, quibus scientiæ hujus Magistri, magno *dissentium* detrimento usque ad inimicitias collidi solent.

Rationes
dubitandi
sunt.
Inanis ja-
ctantia,
mixtura
principio-
rum,
aspersiono
rerum in-
consulta,
maxime
vero
dissentus
&
conten-
tiones Phi-
losopho-
rum.

- (a) Vid. infra §. 46. in fine & adde G. Richter Decad. Alter. Orat. 17. ad Ulpian. l. 1. §. 1. ff. de J. & J. de Philosophia simulata. (b) vid. §. 41. & 46. (c) vid. §. 18. seqq.

Dissensus
circa bea-
titudinis
definitio-
nem,

IV. Ut de diffensione primo loco agamus, constituunt moralis Philosophiæ Doctores duo primaria disciplinæ capita, quorum *primum* de fine, nimirum de beatitudine hominis, ad quem tanquam ad metam susceptæ actiones collineare debent, agit; *alterum* de mediis, quorum auxilio felicitas obtineri debet. In utroque *dissensus* est. Augustinus jam olim CCLXXXVIII. inter se discrepantes hac de re sententias ex Varrone recenseri posse affirmat. Id quod in præcipuis tantum quibusdam auctoribus observare in præsentia libet. *Plato* (a) igitur statuebat, nihil homini ad beatitudinem præter Deum esse necessarium, nec bona corporis & fortunæ ad eandem requiri. *Stoici* (b) in sola virtute & sapientia beatitudinem reponebant, unde magnifica eorum elogia (c) exaudias, solos sapientes, si distortissimi sint, formosos, si mendicissimi, divites, si servitutem serviant, reges esse, cæteros vero fugitivos, exules, insanos denique esse. *Arifippus* verò (d) & *Cyrenæici* in voluptate corporis positam beatitudinem; *Caligula*, *Midas* & *Euclio* aliquis Terentianus in auri possessione & divitiarum eam collocabant. *Horatius* (e) cum nonnullis nihil admirari, rem unicam esse, quæ faciat & conservet beatitudinem, ad Numicum suum scribit. Jucundissimus autem *Martialis*, (f) ea omnia, quæ Philosophi superiores velut separatim tradidit, ex instituto Peripateticorum conjungit, atque ex his colligatis beatitudinem omnibus numeris perfectam nobis exhibet in elegantissimis versiculis, quorum elegantiorum versionem gallicam (g) dignam putavimus, quæ dissertationi nostræ præmitteretur.

(a) Acta nostra Erudit. An. 1696. Mens. Jul. ex Omeffii Ethica Platonica, & Aristotel. L. 1. Nicom. cap. 2. (b) Seneca Lib. de vita beata. Bernier abregé Tom. 8. lib. 1. p. 85. seqq. & Aud. Talæi prælectiones in Ciceronis paradoxo pag. 839. seqq. (c) Jacotius de doctrina Philosophorum pag. 225. 232. (d) apud Laërtium & Ciceron. & Bernier abregé de la Philosophie de Gassendi tom. 8. lib. 1. c. 4. pag. 68. (e) Epistol. 6. lib. 1. (f) Epigram. 43. per Raderum, editionis autem Parisiensis, in usum Delphini Epigram. 47. (g) extat apud P. Bouhours dans le recueil de vêts choisis pag. 148.

V. Nec

V. Nec minor circa media ad beatitudinem obtinendam necessaria est *dissensus*. Tametsi enim plerique Philosophi, qui non sunt ex Epicuri, Metrodori aut similibus hortis, aut quomodo non nemo eos cavillabatur, ex patellariorum Philosophorum popina, virtutem pro subsidio agnoscunt, cujus ope ad beatitudinem provehamur, in tradenda tamen ejus definitione, mira sententiarum varietate inter se scinduntur. Aristoteli (a) *virtus est habitus electivus in mediocritate, quæ ad nos est, consistens, ratione definitus, & prout vir prudens definitur*. Cartesius (b) non multum à Ciceronis definitione deflectens, *virtutem consistere*, inquit, *in mentis instituto & vigore, sive voluntate firma & constanti illud omne faciendi, quod optimum judicavimus*. Pythagoras (c) & Plato (d) *virtutem definiunt per naturam nostram perfectionem vitiumque profectum in meliorem statum, secundum leges à divina voluntate præstitutas*. Lactantius (e) verò & Augustinus (f) *Virtutis nomine intelligunt divinum lumen sive operationem caelestem, quæ mens ad cognoscendum verum illustratur, & ad perficiendum robur accipit*.

Dissensus
circa vir-
tutis defi-
nitionem.

(a) F. Bernier Abregé de la Philosophie de Gassendi tom. 8. Liv. 2. chap. 1. pag. 236. (b) Epistol. 1. tom. 1. ad Reginam Sveciæ, & Epist. 5. ad Elisabetham Principem Palatin. (c) Magn. Dan. Omeisii Ethica Pythagorica. (d) M. Dacier dans la vie de Platon, pag. 80. 81. au frontispice de la traduction françoise de ses oeuvres. (e) in Instit. passim. (f) Lib. 2. de lib. arbitr.

VI. Istæ equidem eruditorum dissensiones non multum disciplina potuissent obesse, & fortassis ad meliorem ejus cultum aliquid conferre aptæ fuissent, nisi fatalis *dissidiorum contentio-umque fervor* illico accessisset, quæ unusquisque adeo suæ tuendæ sententia incubuit, ut citra alterius despectum & ruinam, nec suam consistere, nec ulla ratione sibi invicem conciliari posse arbitratus fuerit. Hinc opiniones illæ, quæ aliquantisper disjunctæ à nostris videbantur, omnes tanquam *προνεῖς νόμα* & explosendas, eorum vero auctores ab amica consuetudine nostra submovendos esse statutum est. Cum tamen conjuncti possint esse amicitia, disjun-

Contentiones su-
pervacuas
esse, ostendit.

&i

Si sententia, dissentit à Catone suo Cicero, dissentit à Q. Metello amicus P. Africanus. Etenim si dicendum quod res est, sententiæ illæ (a) de beatitudine & virtute, non tam se invicem tollunt, quam mutuo promovent, dissensus in eo est, quod una sit perfectior altera. Ut si (b) Clementis Alexandrini & (c) Lactantii consilium quis secutus, sparsas per singulos conjunxerit, habiturus sit absolutam beatitudinis atque virtutis imaginem. Id quod tamen rite vix quisquam exequetur, nisi cui jam antea veritas aliunde cognita fuerit.

(a) §. 4. & 5. allatæ. (b) Stromat. Lib. 1. pag. 288. edit. Sylburg. (c) Instit. Lib. 6. c. 7.

Sententiarum de Beatitudine conciliatio & examen promittitur

VII. Nam postquam in sequentibus veram de beatitudine sententiam (a) explicatam dederimus, dubitari amplius vix poterit, omnes superiores Philosophos (b) veritatem aliqua ex parte attigisse, neminem vero perfecte, ut decet, complexum (c) fuisse, nisi forte *Martialis versiculos*, quibus Academiæ (d) placita persequitur, exceperis, in quibus universa propemodum comprehensa leguntur, quæ ad beatitudinem perfectam votis exoptari à quoquam possunt.

(a) Vid. §. 10. seqq. (b) §. 4. citatos. (c) vid. §. 45. seqq. (d) conf. Lactant. Inst. Div. l. 3. c. 7.

Virtutum definitiones sibi subordinari, non contrariari, probatur.

VIII. De virtutis autem definitione attentionem adhibenti res in expedito est, quod nulla earum plane falsa sit, sed posterior tantum priori semper sit accuratior, solidior, & propterea animo recte philosophanti magis perspicua. Id quod hac ratione ostenditur: Definitio tanto est accuratior, quanto propius originem & fundamentum rei definitæ explicat, quæ si rebus adeo certis consistet, ut nullam amplius rationem exigere necesse sit, & præterea perspicuitatem debitam servet, perfectissima est. Jam definitiones §. 5. allatæ ita sunt comparatæ, ut posterior semper contineat fundamentum prioris, argumento satis manifesto, postremam esse perfectissimam, & auctores ejus majores hac in re prioribus fecisse progressus. Probamus asserta sequenti modo. Dicit *Aristoteles*: Virtus consistit in mediocritate ad nos, qualem vir prudens definiat. Ast querat aliquis, cur in mediocritate? & cur à viris

pruden-

prudente hæc est definienda? Respondeo per rationem satis evidentem ex definitione *Cartesii* desumptam: Quia mediocritatem hanc definire & observare facile potest, qui mentis vigore & firma voluntate faciendi, quæ optima judicaverit, instructus est. Rursus quærat quispiam de *Cartesii* definitione, cur vigor & firma voluntas faciendi optima ad virtutem requiratur? Respondeo per rationem ex definitione *Pythagora*, quia nimirum per virtutem consecuti sumus talem naturæ perfectionem faciendi, quæ constans & firma Dei lex jubet. Quæras iterum, cur *Pythagoras* & *Plato* virtutem dixerit naturæ perfectionem secundum veritatis divinæ legem? Inquio ego ex definitione *Lactantii* & *Augustini*, quia hæc perfectio per divinum lumen sive operationem coelestem in mente ad cognoscendum, & in voluntate ad prompte faciendum est producta. Quod etiam conversa vice procedit hoc modo: Virtus est secundum *Augustinum* & *Lactantium* operatio divina; quo posito: Ergo est perfectio naturæ secundum *Pythagoram* & *Platonem*: hoc posito, ergo est valida & firma ad facienda optima voluntas & vigor secundum *Cartesiam*: Hoc iterum posito, ergo prudens mediocritatem servabit secundum *Aristotelem*. Ex quibus intelligitur, omnes has definitiones sibi non contradicere, sed nexu quodam sibi invicem succedere.

IX. Verum quoniam in recensendis aliorum sententiis versari historici munus est, controversiis autem nulla efflagitante necessitate involvi ignobile Philosophi officium statui debet: Quapropter restat, ut de suscepto argumento veritatem ex propriis iisque valde simplicibus fundamentis demonstremus, quam equidem tanta perspicuitate & facili rerum intelligentia se approbaturam animis attentis speramus, ut ab hominibus etiam mediocriter ratione utentibus, haud difficulter intelligi & admitti possit.

Transitus ad fundamenta propria & universalia,

X. Fundamenta rerum, de quibus non ex relatione, sed scientia certi esse cupimus, in nobismet ipsis quærenda sunt. Homo igitur dum studiose ad ea intelligenda se applicat, quæ ipsum possunt facere & servare beatum, quinque aut sex sequentia invenit: (1) Quod animus suus interdum sit serenus, placida quadam requie aut lætitia plenus, & quod nullis perturbationum fluctibus

Adducuntur quæque vel ex necessaria ad beatitudinem,

pectus suum agitur. (2) Quod in se sentiat facultatem aliquam, cujus ope ideas effingere, ratiocinari de multifariis rebus, sibi eas cogitationibus exhibere, in eorum veritatem inquirere, aut eadem omittere atque se ad alia cogitatione convertere possit. (3) Quod corpus habeat, cujus organa si integra sint, atque ejus interna dispositio talis sit, ut nullo dolore nullisque incommodis urgeatur, se ad exequenda opere ipso, quæ animo constituit, promptum sentiat. (4) Quod ad conservandum corpus, necessum habeat rebus aliquibus extra se positis, quod victu, amictu, & iis rebus absolvi- tur, quibus ab injuriis tempestatum & contra insultus malignos de- fendi potest. (5) Quod postquam quatuor adductæ res conjun- ctim aut harum saltem aliquæ in suam possessionem venerunt, ha- beat potestatem aut efficaciam, quo sui juris sit, de rebus his dispo- nere, iis uti, frui, eas vel exercere, vel seponere, ad eos se conver- tere vel avertere. (6) Denique si his omnibus aut aliquibus eo- rum destituatur, quod vehemens desiderium & enixam volunta- tem in se sentiat, ut exigente naturæ necessitate hæc sibi compa- re, & postquam ista consecutus est, eadem conservare & augete velit.

Explicatur
harum re-
rum deter-
minatio.

XI. Res has explicatas satis luculentas unicuique aliquanti-
per saltem meditantem futuras arbitramur, superest ut adjiciamus,
quibus nominibus illæ designari soleant vel possint. *Primum* ap-
pellatur Tranquillitas animi, *Secundum* Ratio aut Rationalitas.
Tertium sanitas corporis. *Quartum* Possessio rerum, vel si am-
pliores sint, divitiæ. *Quintum* Libertas, quæ est vel absoluta, cum
pro lubitu quidvis agere licet, vel limitata, cum alterius nutu & im-
perio exercenda est. *Sextum* dicitur Amor proprius, aut studium
se conservandi. Ex quibus elucescit, tot dari Beatitudinis species,
quot partes in homine deprehendi recensuimus, quas singulas eum
in statu felici conservare oportet.

Clariorex-
phatio de
beatitudi-
ne perfecta
instituitur.

XII. Quibus sic constitutis, quod nemo, ut opinor, abnuet,
intellectu non est difficile, quid hominem omni ex parte beatum
facere possit. Nimirum si mortaliū quispiam de memoratis
hiscè possideat, quantum ad præsentem usum satis est, & quod ad
vitam sine incommodo traducendam necessitas exegerit. *Sextus*
enim

enim §. 10. numerus in censum eorum venire non potest, quæ vitam reddunt beatiorem, quoniam perspicuum absentis beatitudinis præbet argumentum. Sed ne nimia festinatione, in obscura, & quæ horum comes est, in incertas opiniones prolabamur, placet eorum sequi vestigia, qui in figurarum & motuum circa corporea imaginationem (a) exercent, atque errare nunquam volunt, quando per definitiones claras, postulata & axiomata demonstrationum compendia faciunt.

(a) Cartes. Epist. 30. tom. 1. & Meditat. 6.

XIII. In quo ita verfabimur, ut exhibeamus definitionem **Beatitudinum** beatitudinis in genere, tum earum specierum, quæ in unum **num definitiones exhibentur.** collectæ **statum** producant *omnium bonorum aggregatione perfectum*, ut Boetius loquitur, & qui Ciceroni appellatur, *secretis malis omnibus cumulat a bonorum possessio*. Sit ergo definitio!

- I. *Beatitudo in genere est status natura conveniens, quo homini bene est, ut in eodem nihil anxie desiderare necesse sit. In specie*
- II. *Tranquillitas animi est beatitudo, qua mens per divina gratia sensum, sine perturbationibus & anxietate vitam agit securam & tranquillam.*
- III. *Sanitas corporis est beatitudo, qua corpus externa & interna integritate atque vigore pollet, prompte & alacriter exequendi ea qua mens voluerit.*
- IV. *Ratio seu rationalitas est beatitudo, qua quis facultate pollet formandi veros conceptus sive ideas, de rebus, quas sensibus aut intellectu percepit.*
- V. *Opes seu possessio rerum est beatitudo, qua quis ea possidet, qua ad vitium, amittum & tuendum corpus sunt necessaria.*
- VI. *Libertas absoluta est beatitudo, qua quis de omnibus facultatibus suis, nullo impediante, ad libitum disponere iisque uti potest.*

Libertas limitata est, qua istud secundum alterius voluntatem faciendum est.

XIV. Antequam ad ea progrediamur, quæ ex his deduci **Axiomatum instar** possunt, tria præmittenda sunt. (1) Quod omnia, quæ ad **tria præ-** **nuscujusque beatitudinis conservationem, incrementum imo & mittuntur,** **decur**

deus pertinent, in suo genere sint *realia*, hoc est, talia, quæ non solum in rerum natura verè existant, sed etiam per effectus suos felicitatem humanam aliqua in parte re ipsa promoveant. (2) Quod omnia hæc beatitudinum genera, inter se vinculo quodam sint *connexa*, sibi que invicem subordinata. (3) Quod non obstant illa subordinata conjunctione, hæc inter se tamen sint *distincta*. Quæ equidem naturali perspicuitate satis clara accerta videri possent, nisi eruditorum quorundam subtilitas nobis dubia reddidisset, quæ aliàs apertissima videri deberent.

Probatur
primum,
quod omnia sint
realia.

XV. Confirmandura igitur est (1) quod omnia, quæ definitionibus §. 13. allatis explicantur, sint *realia*. Probari hoc potest *primo à priori*. Divina bonitas cum statuisset producere non solum mentes (*de quarum beatitudine agit definitio II. & IV. §. 13.*) sed etiam corpora, (*quarum felicitatem explicat definitio III. & V.*) necessarium fuit, ut ipsis existentiam realem largiretur, aliàs nihil egisset; & ut ipsis conferret omnia, quæ naturam eorum conservarent, auferent & exornarent, *secundum definitionem I.* alias misera & imperfecta eadem condidisset, id quod bonitati & sapientiæ Creatoris repugnat. Taceo, quod à causa reali, qualis S. Numen est, non nisi realia prodire possint. Sed quoniam difficile ut plerimum est, pervidere quomodo omnia naturæ suæ existentiam consecuta sint, ea propter adjungimus probationem *secundam, confirmantem à posteriori harum rerum*, ut ita loquar, realitatem. Non entis nullæ sunt affectiones. Atqui res definitionibus §. 13. comprehensæ, efficaci & valida ratione nos movent atque percellunt. Sequitur proinde, harum existentiam non plane esse apparentem. Accedit, quod quanto vehementius res aliqua naturam rite dispositam afficit, (cujus rei experimentum cuivis capere licet,) tanto etiam major objecti præsentis sit certitudo & realitas. Addatur, si placet, *Medicina Mentis*, pag. 6.

Observatio,
quod necessaria
imprimis
sint tradenda.

XVI. Illud monendam hoc loco duximus, quod in tanto rerum tractandarum numero, quibus omnibus vix pares sumus, prudentis sit, *eam sibi præcipue comparare & excolere beatitudinis partem, qua nulla ratione carere potest, & qua humanis necessitatibus usui sit.* Vita brevis, ars longa est. Idcirco in semetipsum pecca-

peccare, aut desipere putandus foret, qui studiose impensis operis in artificiosas Myrmecidis quadrigas, (a) & similia ludicrae curiositatis miracula, pretiosam animi culturam omitteret, aut quæ corpori maxime necessaria sunt, negligeret. Una veritas, quemadmodum & beatitudo una, semper alteram præstantia antecedit, propiusque ad nos pertinet, hinc quoque primo loco collocanda est. Et cum pereximia virtus sit, vera rerum pretia nosse, infra (b) ostendendum erit, quo loco variæ istæ beatitudinum species (c) ponendæ sint sibi que succedant.

(a) Vid. §. 1. (b) §. 29. (c) adductæ §. 13.

XVII. Ad probandam realem rerum existentiam & effectus, Stoicorum quibus beatitudo humana promovetur, sufficere poterant quæ §. 5. allata sunt, nisi Philosophorum quorundam auctoritas circa planissima ingeniosis dubitationibus scrupulum alicui injicerent, qui eximendus est. Stoici, inter quos Zeno & Seneca præcipui sunt, nullam rem ad beatitudinem & felicitatem aliquid conferre contendebant, excepta virtute, cui tamen voluptatem ipsam detrahebant. (a) Cætera omnia inter nullius momenti res computabant. Ideoque dolores, morbum atque egestatem, mala & sanitatem, opes atque cætera, quæ fortunæ indulgentia adjicit, bona dicere horrebant. Imo sapientem morbo gravissimo affectum, egenum, & in Phalaridis tauro ignibus excruciatum, beatissimum appellat Zeno. (b)

(a) Vid. §. 4. & Seneca Lib. de Vita beata. (b) Cicero L. V. de finibus.

XVIII. Cum quibus equidem facile transigemus, si dixerimus, has ipsorum opiniones adeo naturæ & rationi repugnare, ut idem ipsi auctores se eas tueri non potuisse senserint, nisi per frigidam quædam nominum innovationes. Namque cum nimis absurda appareret, sanitatem & morbum, voluptatem & dolorem, eandem rem dicere; nec tamen sanitatem bonam, aut dolorem malum appellare vellent, dixere sanitatem προηγμένην, i.e. rem promotam versus Virtutem, & dolorem ἀποηγμένην, remotam à virtute. (a) Cur verò, inquam ego, cum de re conveniat, non malimus usitate loqui? In Possidonii (b) autem exemplo pertinacia

cic multum, rationis nihil invenio. Iste Philosophus morbo & doloribus gravissimis pressus, differebat, audiente Pompejo, nihil esse bonum nisi quod honestum, & cum doloris faces admoventur, presit eum inquires: *Nihil agis dolor, quamvis sis molestus, nunquam te esse confitebor malum.* Nimirum maluit severus disciplinae observator experiri potius, quam dicere, quae vera sentiebat.

(a) conf. Bernier abregé de la Philosophie de Gassendi Tom. 8. L. 1. cap. 5. pag. 105. (b) Ciceroz. Tuscul. Quæst. Opp. T. IV. p. 206. b.

P. Malebranchii objectiones affertur.

XIX. Subtiliora pro ingenii sui acumine, contra ea quæ corporis felicitatem promoveant, affert *Malebranchius*. (a) Versatur ingeniose admodum in confirmanda idearum rationalium realitate. Sed quemadmodum difficile est, incitato cursu in stadiis decurrenti nihil prævaricari, sic dum doctissimus Philosophus, in suo, quem vocat, mundo intelligibili (b) exspatiatur, accidit ipsi quod plurimis aliis, ut rerum visibilium existentiam perdidit, harumque pretium nobis imminuat. Namque & demonstratione (c) se niti affirmat, quod nulla demonstratio exacta de existentia corporum dari possit; & materialem hunc mundum esse invisibilem, (d) nihilque habere pulchritudinis, de qua nobis persuasum est, opinatur. (e) Atque ne sine ratione philosophetur, probat (f) prius hac ratione, quoniam scilicet res materiales & visibiles in notione, quam de DEO habemus, necessario non includantur. *Posterius* vero confirmat duplici argumento, quorum *unum* est, quod omnes has perceptiones de rebus visibilibus habere sine corpore possimus: *alterum* vero est, quod aliquis, cui brachium amputatum est, sentiat tamen illud, quasi adhuc adesset, & tanquam dolorem in eo perciperet. Adjungens, quod illi, quibus cerebrum male habitat, aut qui feбри ardenti correpti sunt, mira timeant & sentiant, quæ tamen nonnisi in eorum imaginatione existunt.

(a) dans les Entretiens sur la Metaphisique & sur la Religion. (b) Entret. 1. pag. 14. 17. (c) Entret. 6. pag. 195. (d) pag. 15. 20. (e) pag. 18. (f) Entret. 6. pag. 196. (g) pag. 19. 20. (h) pag. 16. XX.

XX. Ad quæ breviter reponere placet, quod quemadmodum mundum suum intelligibilem nolumus destructum, sic pro materiali nostrâ per rationes suas nihil timemus, quem si serio invisibilem statuit, jacturam oculorum suorum, si contigerit, multo facilius feret quam equidem nos, quibus mundum materialem, aut conclave nostrum luminibus destitutis, videre non datur. Quod res materiales in conceptu ideæ divinæ necessario non includantur, largimur, sed nec existentiam mentium in eadem idea DEI invenire possumus, quoniam & sine mentium creatione DEUS in se beatissimus fuisset, de harum tamen existentia Malebranchius nunquam dubitavit. (a) Nobis ad certitudinem existentia corporum uti & mentium, sufficit voluntas divina arbitraria, & quod sensus nobis dati sint, qui si integri fuerint, satis certi de objectis materialibus redduntur, quando ab iis afficiuntur, eodem modo, quo facultates spirituales de objectis spiritualibus. Conf. §. 15. Negamus autem, quod sine prævio objectorum materialium sensu, perceptiones sensuales de rebus materialibus, v. g. de monte, arbore, sole, similibusque liquido habere possimus. Concedimus interim perceptiones rationales & ideas, ultra has argumentum nihil evincit. Sensus autem brachii amputati, aut dolor in eodem, probat objecti olim præsentis existentiam & perfectionem, cujus usum priorem imaginatio nondum deservit, & extra quod dolor membri absentis nunquam alicui in mentem venire potuisset. Quod idem imaginatio corrupta cerebri malefani ostendit, quando objecta aliquando visa repræsentat. Cujus autem signa & errores sanis mentibus, & quorum organa rite disposita sunt, imputare velle, esset argumento ab ægroti alicujus infirmitate desumpto, etiam robustissimis vires & sanitatem negare. Periniquè profectò cum humano genere ageretur, si propter lusciosi alicujus, & oculorum vitio laborantis errorem, reliquis omnibus satis acute videntibus, visus certitudo aut oculorum usus adimendus esset. Cætera quæ ab eodem auctore (b) afferuntur, excutere velle, extra præsens institutum est.

(a) Entretien 6. (b) præcipuè dans les Conversations chrétiennes chap. 2. & 4.

XXI. Mi-

**Explicatur
sententia
D. de T.**

XXI. Minori verò jure veritati obesse, aut repugnare nobis censenda sunt ea, quæ de differentia bonorum apparentium & verorum differunt. Vir, qui pari eruditione generis nobilitatem tuetur, & quem honoris & observantiæ nomine commemoro; Placuit nimirum generosissimo Medicinæ mentis (a) Auctori, omnia alia, quæ virtutis, sapientiæ & tranquillitatis mentis nomine non continentur, nec hisce adjumento sunt, appellare bona apparentia, qualia ipsi sunt delectationes sensuales, divitiæ & honores. Inter mala veto apparentia computantur, absentia delectationum sensualium, paupertas & status obscurus, si profint ad consequendam virtutem, sapientiam & tranquillitatem mentis. Expressius autem alio in loco (b) dicitur, quod *nulla alia realia bona inveniri possint, præter sapientiam, virtutem ac tranquillitatem mentis; & quod omnia realia bona unice & prorsus simpliciter* (c) *animum respiciant*, cujus incrementum continuum promoveant, ad colligandum sibi unione arctiori ens perfectissimum. Quibus ita intellectis, consequentia satis aperta non nemo concludendum exinde putabat, ea, quæ ad uberiorem corporis perfectionem ejusque ornamentum aliquid conferunt, qualia certe sunt delectationes sensuales & divitiæ, aut quæ animi decus externum augent, quod honores efficiunt; ea inquam omnia si animus inde non proficiat (quod tamen flagitioso juxta & homini sapienti quandoque evenire, ostendi potest) aut nulla realia bona esse, quod olim *Stoicis* (d) placebat, aut sua natura fortassis non existere, sed apparenti quadam bonitate nos delectare aut affligere, qui sibi repugnans *Scepticorum* (e) error erat.

(a) pag. 259. (b) in der gründlichen Anleitung zu nützlichen Wissenschaften / absonderlich zu der Mathesi und Physica, §. 5. (c) l. c. §. 4. (d) Vid. §. 17. Dissert. hujus & Talzi prælection. in Cic. Paradox. p. 839. (e) Cicero 2. Academ. quæst. Conf. les Oeuvres de Monsieur le Mothe de la Vayer tom. 1. partie 2. pag. 657. 662. seqq. Paris. edit. in fol.

**Ostenditur
eam nobis
non repu-
gnare.**

XXII. Respondemus, indignum videri debet, male intellectis conquisitis vocabulis eum disponere velle inter Scepticos, contra quos

quos tamen diligenter ab eodem disputatum (a) esse meminisse decet. Nec melius Stoicis suscipio habet. Nam ut prætereamus egregia illustres atque generosissimi Viri in mechanicis, arte vitæ, caustica, similiaque inventa, quæ orbis eruditus colit, satis ostendere, quantum pretium rebus corporeis, earumque non fictæ bonitati statuat, in iisdem locis adductis inter plurima, alia traditur (1.) quod bona apparentia v. g. divitiæ, delectationes sensuales & honores ex apparentibus fiant realia, (b) si virtuti, sapientiæ, & tranquillitati mentis auxilio sint; quod sic, miraculo fieri non posset, nisi jam antea aliquam realem bonitatem contineret. (2.) Quod bona apparentia tale corporis incrementum producant, (c) ut illud absolutum in mentem obtineat imperium: qui effectus à causa reali jam antea existente, neutiquam verò ab apparenti provenire potest. (d) Per quæ rerum, harum realitas (liceat enim ita loqui) satis ut opinor asserta intelligitur. Si cui autem non appositæ voces, *bonum apparens, nulla realia bona*, videntur, cum magis perspicuum fuisset dicere, divitiis, delectationes &c. esse realia bona, sed infinitis modis minoræ præiis, quæ mentem perficiunt, à quorum præstantia istorum dignitas interdum plane absorbeatur; is sciat Philosopho ad sensum potius quam ad voces respiciendum esse, quæ tamen hic loci recte & ex consuetudine usurpata, leguntur, siquidem easdem intelligas h. l. velut per comparisonem adhiberi. Hoc enim sensu minimè repugnat, quantitatem grani piperis aut sabuli apparentem vel plane nullam dicere, si scilicet eam cum stella primæ magnitudinis (e) compares: vel etiam de effectu morali, quem in applicatione respectu personæ opere ipso præstant, bonis illis bene aut male utentibus, ubi etiam certis in casibus quæ mala sunt induunt rationem boni, (f) & bona naturam mali, ut vocabulum *apparens* h. l. positum idem significet ac *fallax*.

- (a) in Medicin. Ment. pag. 5. sqq. (b) l. c. pag. 259. (c) in Dergründl. Anleitung §. 4. (d) Vid. Malebranche Entretien sur la Métaphysique §. 1. pag. 7. (e) Vid. Ms. Ozana dans la Cour de Mathématique tom. IV. part. 1. chap. 2. pag. 38. (f) Vid. H. Grotius de Jure Bret. P. II. XXIII. 2. & II. XXIV. 5.

Probatur
secundum,
quod bona
inter se sint
connexa,

XXIII. Satis confirmato primo, accedendum est per §. 14. ad secundi membri explicationem. Quod nimirum bona definitio- nibus §. 13. commemorata, sint inter se connexa, i. e. quod sibi succedant invicem, unumque ab altero auxilium mutuetur. Clara hæc consideranti natura sua sunt, & ex primo profluunt. Nam cum omnia hæc realia in uno inveniuntur subjecto, propter ordi- natam legem & sapientiam Conditoris, sua sponte consequitur, ut sibi invicem quodam ordine legitime succedere, unumque al- teri mutuo subsidio esse debeant, nisi dicere velis, pugnare hæc in- ter se atque destruere sese oportere. Igitur si exempli gratia *tran- quillitate mentis* gaudeas, (de qua §. 13. definit. 2.) iis omnibus malis atque morbis corporis carebis, quibus perturbati, atque tri- stes & malignæ mentes se ipsos corpusque suum excruciant. Qua ratione insigniter simul promovebis *sanitatem corporis*. (definit. 3.) Si tranquillus & corporis sanitate præditus fueris, nihil impediet, quo minus *rationis usum* prompte exercere queas. (vid. definit. 4.) Si tranquillus, sanus, & ratione instructus fueris, circa res exter- nas & bonorum possessiones (vid. defin. 5.) industriam tuam bene occupare poteris. Quod si autem in uno horum impeditus fueris, per nexum hujus, & cæteris incommoda supervenire necessum est.

Probatur
tertium,
quod bona
inter se di-
stinguantur.

XXIV. Tertium in §. 14. propositum axioma superest de- ducendum, quod commemorata hæc bona, quanquam sint col- ligata in homines, tamen *inter se revera distinguantur*, quemad- modum in oculo tres illæ tunicæ, Opticis (a) cornea, uvea & retina dictæ, cum tribus humoribus aqueo, cristallino & vitreo, arctissimè colligantur, ita quidem ut unum sine alterius sensu tan- gi aut lædi vix possit, inter se tamen per naturam distinctæ depre- henduntur; aut quemadmodum in brachio (b) cutis, nervi, mu- sculi & ossa coherent, quæ tamen à se invicem separata compa- rent; sic par in nostro argumento bonorum adductorum est ratio. Id quod ostenditur, non modo quia quodlibet horum circa diver- sa objecta & functiones occupatur, v. g. *tranquillitas mentis* circa unionem cum DEO, *ratio* circa conceptus & ideas rerum, *sani- tas* circa corporis constitutionem, *Opum possessio* circa res extra- nos constitutas; sed multo adhuc evidentius, quoniam bona hæc sepa-

separatim in nonnullis conspiciuntur atque ab iis exerceri possunt. Cernere enim licet homines *tranquillos* suaque sorte contentos, sed *stupidos* aut ratione prorsus uti non valentes. E diverso videbis alios erudite differentes, quos tamen occulti pectoris morsus & perturbatio excruciatos dat. Porro dantur aliqui ratione & studiis instructi, qui *imbecillitate corporis* laborant. Uti nec rarum aut insolitum est, spectare *eruditos & incolumes*, qui bonæ mentis sororem *paupertatem* nimis arcte sibi conjungere.

- (a) Vid. Zahnii *Oculus Artificialis Telediotricus* cap. 1. & 2. & conf. Petri Dionis *Anatomia in horto regio Parisiis demonstrata*. Demonstrat. 8. pag. 376. (b) consul. Philip. Verheyen *Anatomia Corporis humani* Proem. pag. 5. & tr. 2. cap. 2. tr. 5. c. 11. tr. 6. c. 9. tr. 7. c. 6. & *Anatomia Bartoliniana* lib. 4. cap. 2.

XXV. Explicata igitur per luculentas definitiones (a) beatitudinum natura & varietate, confirmatis etiam iis, quæ horum essentiam comitantur, (b) superest, ut secundum monita nostra (c) certiorum usum traditorum commonstremus. Quorum primus est, *quod plena & perfecta hominis beatitudo non consistat in una aliqua felicitatis possessione seorsim spectata; sed in omnibus iis conjunctis, quæ §. 13. definitionibus explicata sunt.* Istud tantum observandum est, *intercedere inter has beatitudinum species hanc differentiam, ut prima infinitis modis reliquas, & ex his, secundum proportionem una alteram superet; quemadmodum etiam unus in quavis beatitudinum specie gradus, alteri semper perfectior est.* Nos hoc loco aliquem aut saltem minimum, ex his gradibus ad beatitudinem requirimus, qui ultiores affequitur, iste in uberioris fortunæ lucrum & ornamenti decus illud computet. Propositionis autem veritas elucescit per §. 15. & 23. Nam cum omnia hæc sint realia, & divina Creatoris Sapientia sic in homine copulata, ut unum respondeat alteri illudque promoveat, nulla res aut Philosophia efficiet, ut ex prima institutione conjuncta eandem bonitatem servant aut parem usum præstent, si vitio nostro, aut aliqua calamitate sejungantur, locum naturalem mutant, aut hac ratione statum suum deteriore reddant.

Propositio prima, Perfecta Beatitudo ex omnibus iis componitur, quæ §. 13. definiuntur. Observatio circa species & gradus beatitudinis.

Deus enim tanquam ens beatissimum, non potuit non voluisse, ut postquam sua bonitate produxerat hominem, is etiam ad imitationem sui omni ex parte se beatum sentiret. Ut non modo mente ipsi associatus in ejus sinu tranquillus conquiesceret, sed præterea corporis perfecta incolumitate lætaretur, & amplius rationis usu bona sua intelligeret, ac denique rerum externarum dominus necessarios felicitatis fructus exinde caperet.

(a) §. 13. (b) §. 15. 23. 24. (c) §. 16.

Confectarium 1.
Unius defectus beatitudinem imperfectam arguit.

XXVI. Ex quo sponte sua consequitur, *quod si una beatitudinis §. 13. species homini defuerit, quod ea ex parte verè infelix sit dicendum.* Deest enim ipsi realitas aliqua, (a) quæ ad compleendam ejus beatitudinem adesse voluit Conditor liberalissimus. Id quod quisque in ejusmodi statum adductus abunde experitur. Namque destitutus homo tranquillitate mentis omnium est infelicissimus; destitutus sanitate miser; destitutus ratione stultus; destitutus opibus necessariis calamitosus; destitutus libertate bonis omnibus nulla ratione utendi, infortunatus putandus est.

(a) Per §. præcedent.

Confect. 2.
Majoris beatitudinis consideratio inferiori non tollit, sed minuit tantum.

XXVII. Sequitur porro, *si exhortari aliquem ad virtutem & pietatem oporteat, quod istud non fieri conveniat per negationem realitatis bonitatis rerum, quibus aliquis utitur: sed potius, quod (per observationem §. 25.) multo præciosiorem rerum possessionem, delectationem, & ornamenta sit impetraturus, si modica hæc & inferiora non adeo magni duxerit, quorum pretium in nullam comparationem venire potest, si cum fructibus ex virtutis, sapientia, & rerum cælestium usurpatione percipiendis contendantur. Quo argumentorum genere persuasisse legimus Salomonem, Proverb. cap. III. 14. Sap. VII. 8. & Christum Math. XIII. 44. 45. Luc. IX. 25.*

Confect. 3.
Minus bonum propter majus non est abjiciendum.

XXVIII. Sequitur etiam, *labi illos, qui, cum ad obtinendam unam beatitudinis speciem vehementer elaborant, reliqua omnia, quæ minoræ sunt imperito, fervore aspernantur & abjiciunt. Quorum præcipitantiam poenitentia & imprudentiæ confessio plerumque subsequi solet. Quoniam enim (per §. 14.) omnia hæc sunt realia & (per §. 23.) inter se connexa, singula hæc ea ratione*

tionem ordinanda sunt, ut sibi non impedimento sint aut se invicem destruant, sed alterum alteri auxilium mutuetur. Quemadmodum igitur stultitiam arguit, ob res viles negligere præstantissimos, sic imprudentiam indicat, ob eorum excellentiam aspernari minora sed tamen necessaria. Errone ergo lapsus est Philosophus iste, qui ut feliciori attentione philosopharetur, oculos sibi eruit. Et alter ille, qui patrimonium in nummos redactum effudit in mare, inquiens: *abite in profundum mala cupiditates, ego vos mergam, ne mergar à vobis*, reprehensus hoc nomine à quodam Christianæ fidei Philosopho. (a) Ita enim statuendum est, multo esse præclarior, animum sic asvescere, ut ferre sine damno externa, & uti sine elatione istis rebus possit, quibus aliquando necessitati aliorum prodesse, & sibi metipsum exigente rerum vicissitudine, quandoque subvenire queat. Ideoque Salomonem, post amplissimam & repetitam sapientiæ commendationem addidisse legimus, ad sapientem etiam pertinere hæc, aptare foris opus, parare agrum, & domos extruere. (b) Sed paucissimis, ut opinor, hodie præsens commonefactio necessaria fuerit, cum illud satyrici:

quærenda pecunia primum,

Virtus post nummos,
satis frequenter animo & auribus sese offerat.

(a) Lactantius Instit. divin. L. III. c. 23. (b) Proverb.

XXIV. 22. & 27.

XXIX. E re potius fuerit, ut secundum §. 16, observationem Prop. II. de propositionum de dignitate & ordine ac pretio beatitudinum inter se comparatarum differamus. Nam si citra hunc respectum eas inspicieris, unaquæque harum in suo genere summa dici potest. *Is est consequens ordo in acquirendis & amplificandis bonis observandus est, qui* Definitio-
num ordo
§. 13. se re-
quitur.

§. 13. exhibetur. Proponitur in loco adducto (1) tranquillitas animi (2) Sanitas corporis, (3) Rationis cultus, (4) Bonorum corporalium acquisitio, (5) Libertas his omnibus utendi. Probatur hic ordo per rationem §. 16. propositam, quod ea tractare primo loco conveniat, quibus nulla ratione carere possumus. Quemadmodum igitur mens dignitate & excellentia omnibus aliis præstat, sic primo loco illius cura habenda est, ut bene sese ha-

v. Tran-
quillitas
animi.

beat

Probatur
rationibus

beat atque sana & tranquilla sit. Idque tanto magis, quanto certius, (per §. 23.) de connexione ejus cum cæteris constat, atque manifestum sit, ab illius integritate & perfectione cæterarum facultatum salutem dependere. Id quod uberius confirmamus rationibus. Qui mentem atque pactus suum per divinam gratiam tranquillam sentit, is (1) nihil magno opere timet, nec cum inquietudine & æstu vehementer ea desiderat, quæ animos humiles & ultra terrestria vix sapientes, immodicis cupiditatibus & allectamentis suis exagitant, qualia contra homini tranquillæ mentis & divino præsidio suffulto possidere & relinquere, tractare & omittere perinde est, habens scilicet intra præcordia prætiosiora, quæ eum exfiant, eumque tutum sine pavoribus præsent. *Conf. hanc in rem Augustini Manuale (a) & Soliloquia. (b)* Ut proinde potiori jure quam Diogenes (c) de se affirmare possit, se ex Philosophia sua, si nihil aliud, *hoc certe lucratum esse, ut ad omnem fortunam paratus sit.* (2) Hujus auxilio novit acerbitates vitæ magno animo æquabiliter & moderate ferre, (vid. Psal. LXXIII. 25. 26.) ac denique artem artium & scientiam scientiarum, bene beateque moriendi, ut semper exire paratus sit, neque cum Adriano Imperatore de futuris incertissimum, morte adventante tremere oporteat :

*Animula, vagula, blandula,
Hospes comesque corporis,
Quo nunc abibis in locum?
Pallidula, rigida, nudula,
Nec ut soles dabis jocos.*

(3) De reliquis rebus hujus vitæ, tum peragendis, tum dijudicandis multo redditur aptior, cum inter varios strepitus & impedimenta vitæ attentè & sine perturbationibus de iis cogitare potest, si quando ad ea tractanda vocatur.

(a) Cap. 9. 29. 32. &c. (b) cap. 22. 30. 35. &c. (c) Laertius in Vita ejus lib. 6.

2. Sanitas
corporis.

XXX. Sanitati mentis succedit *sanitas corporis*, ut conjunctim mens sana sit in corpore sano. Quisquis enim morborum incommodis & doloribus exquisitissimis corpus convelli experitur,

tur, æquè infelix est illa sua parte, quam est ex altera, qui torminibus conscientiae tentatur. Repugnantem enim Philosophiae suae nobis fingunt Epicurum, qui (a) de eo comminiscuntur, sensisse, vel potius ineptivisse ipsum, hominem in ejusmodi malis constitutum, æquè felicem atque aliquem inter rosas & hortos assidentem futurum, ipsumque de hujuscemodi doloribus, pronuntiare solitum fuisse: *Quam suave est hoc! quam hoc non curo!*

(a) Lactant. l. 3 c. 28. Cicero 2. Tusculan. adjungens de eodem: Epicurus homo minime malus vel potius vir optimus, & Tusculana multo præclariora.

XXXI. Postpositum us sanitati corporis *cultum rationis*, quod mirum nemini videri debet, quoniam illum hic loci non physice, sed ex morali bonitate, quam ad beatitudinem confert, consideramus. Scimus alias rationem nobilissimam animae facultatem esse, quæ naturali consideratione in homine sano, merito suo corpori anteposenda sit. Verum quia hic de eo agitur, quid præcipue hominem beatum faciat, & cujus absentia eum præ cæteris affligat, ideoque ex definitione quarta §. 13. facile colligitur, hominem si ex duobus malis minus eligendum fuerit, feliciorum esse, si rationalitate subtili, i. e. facultate veros de rebus etiam abstrusis conceptus formandi careat, quam si doloribus & gravissimis morbis, quæ pariter rationis usum adimunt, opprimatur. Pone hominem simpliciorum, is dubio procul quietior ac propterea beatorum erit, præ eo, cujus corpus equivoce torquetur, candentibus forcipibus laceratur, aut ejusmodi morbis intus excrucietur, quæ propemodum hæc externa superant.

Rationalitas.

XXXII. Ultimo beatitudinis loco jure ponendæ sunt *opes seu bona fortuna*, tum quod ad corpus tantum referantur, & propter hoc in meliori pretio sint: tum quod extra naturam nostram constituta atque remotius à nostra præcipua parte, qui animus est, posita intelliguntur.

XXXIII. His universis tanquam complementum & summa beatitudinis perfectio accedit *libertas*, præcipue si illa fuerit *absoluta*, & ut decet, cum ratione atque animi robore conjuncta. Per quam nostra mentis tranquillitate frui, perturbationes animo propulsa-

Libertas
Effectus
ejus addu-
re, do-
cuntur,

re, dolores corporis ratione adhibita leviores reddere, iacturam rerum externarum æquabiliter ferre, & de omnibus secundum placitum nostrum, non ex opinione aut errore vulgi, sed ut convenit sapienti, statuere atque decernere valeamus. Hæc ferè aurea & inæstimabilis est, hoc potius, quod naturæ sortem quodammodo excedere & vires humanas superare videtur. Conf. Joh. IIX. 36. Sed nec *limitata libertas*, pro statu hominis æstimatione sua destituitur, modo talis sit, ne per eam rerum necessarium usu plane prohibeamur. Quemadmodum tempore electionis Ludovici V. Bavari, legato Electoris Brandenburgici, Nicolao de Boock, ob perfidiæ crimen accidisse legimus, (a) qui propter suffragium Imp. Ludovico datum, sedili alligatus mensæ cum cæteris accubuit quidem, ut videre cœnantes posset, ipse vero cibos capere prohibebatur, donec acridi famis sensu interiret.

(a) Ex Cuspiniano *Nic. Ristershufius*, Exeg. Hist. Geneal. p. 2.

Ordo traditus tenendus est à prudente.

XXXIV. Vera igitur his rebus pretia qui statuere voluerit, necessum est, ut ordinem traditum in acquirendis, conservandis & augendis beatitudinum adductarum speciebus servet, tali adhibito moderamine, ut quælibet in statu suo, quem naturæ conditio exigat, conservetur, quo perturbato aut neglecto, non nisi infelicitas tentantem sequi potest, quoniam maxime necessaria & pretiosa negligens, in acquirendis inutilibus, aut saltem non adeo necessariis se tempus imprudenter perdidisse experietur.

Confect. 1. Bono majori male anteponitur minus.

XXXV. Unde deducitur, *insipienter agere, qui beatitudini majori præponunt multo inferiorem*. Qui per universam vitam in cumulandis nummis tanto cum studio versatur, ut ne de corpore quidem conservando sollicitus esse possit, errore sibi pernicioso labitur, quoniam (per §. 32.) res hæ non sunt nisi propter corpus. Pariter errant, qui corporis curæ non ad conservationem sed ad sanguinem ita incumbunt, ut bonæ mentis cultum penitus negligant, & quemadmodum festive non nemo (a) inquit, unice curant, ut semper sint obesuli, semper corpulenti, semper colorati. Quoniam corporis sulturis tantum sustineri, non apprimi mens debet; & ignominiosum est nitere corpore, mente fordescere. Omnium autem perniciosissime falluntur, qui (per §. 16. & 29.) rationis cultum non eo dirigunt, ut ad solidam mentis quietem, quæ in vir-

tate

tute & rerum divinarum usurpatione reponitur, nunquam perveniant. Cujus universa erroris ratio in eo sita est, quod melioribus & dignioribus, res minores & valde exigui pretii anteferant, de præcipuis autem ultimo demum loco, & plerumque cum sero sapientia in exitu est, cogitent. Omnibus enim rebus certus ordo & modus positus est, quem qui perturbet aut transilierit, peccat, secundum illud:

*Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque, nequit consistere rectum.*

(a) In Cosmopolitani Philolophia libera, disset: ignorantem docto præferendum esse.

XXXVI. Isti vero ex legibus prudentia agunt, qui ad optima & maxime necessaria statim committuntur, adeo quidem, ut si necessitas efflagitaverit, propterea tamen non dubitent, minora bona in discrimen adducere, (per §. 16.) Compensatur enim hæc ratione minoris rei jactura possessione boni longe præstantioris. Vid. Luc. XVIII, 28. 29. 30. Philipp. III, 7. 8. Act. XX, 24. Quemadmodum ob eandem rationem nemo statim plane contemnendus est, qui inferiori quodam bono, v.g. externa forma, divitiis &c. destituitur, si possideat majoris momenti felicitatem. Cæterum Propositio hæc, de in discrimen adducendis & contemnendis rebus minoris pretii, non repugnat, uti videri posset, §. 28. Quoniam hoc casu inevitabili quadam necessitate eo homines se deductos sentiunt, ut nulla alia ipsis amplius subsidia restent, quibus ad optatum felicitatis finem perducere possint. Cum contra superiores, (a) vel immatura quadam inconsideratione, vel infirmis quibusdam persuasionibus, certe nulla admodum exigente necessitate, ad illud perpetrandum festinaverint. Quod si enim causa satis gravi ad hoc se compulsos fuisse ostendi posset, extra reprehensionem merito fuerint, cum inter relinquere & objicere, satis magna intersit differentia. Id quod in Philolophis, quos superius commemoravimus, & plurimis aliis pervidere nondum licuit.

(a) §. 28.

XXXVII. Meminisse interim oportet, nullam beatitudinis spem sine laboribus, virium contentione & molestiarum sensu acquiri posse. Beatitudo enim (per definitionem I. S. 13.) est status felicissimus

Cont. et. a.
præstantia-
suma & ne-
cessaria
primo loco
tractanda
suat.

Prop. 1. tia,
Nulla bea-
tudo sine
labore ob-
tinetur.

sumus, qui vero ad illam sibi comparandam adhuc contendit, versatur (*per num. 6. §. 10*) in contrario infelicitatis statu, ex quo ut ad meliorem emergere possit, studio & laboribus opus est. Id vero sine molestia sensu non contingit, quoniam multa, quae gratissima prius videbantur, dediscenda, atque subeunda sunt his adversa, quaeque displicere, alacri studio atque industria superanda sunt, quaecumque etiam cum difficultate conjuncta videantur. Id quod ordinarius vitae usus quotidie nos edocet. Ad acqvirendas divitias labore continuo & industria opus est. A morbo graviore non nisi lentis remediis & molestissimis curationibus ad sanitatem perducimur: Scientiarum disciplinae quantas non exigunt vigilias & studium? & tranquillitati mentis summum pretium positum est apud Johannem cap. XVI, 20. 21, 22. Matth. XVI, 24. & cap. XI. vers. 29.

Prop. 4ta.
Beatitude
activa per-
fectior est
contem-
plativa.

XXXIIX. Per principia superius posita concludimus potius: *Vitam contemplativam esse beatissimam, hac tamen previa perfectiorem esse activam.* Per vitam contemplativam, non intellexere Philosophi (a) vitam prorsus otiosam, quid enim, dicente Seneca, otiosius verme? Sed eam, quae ex rerum tranquilla contemplatione & intelligentia percipitur. Quam eorum mentem definitio nostra 2. & 4. §. 13. explicat. At vero per §. 25. constat, perfectam beatitudinem in omnibus iis, quae §. 13. explicantur, conjunctim sumtis repositam esse. Per §. autem 33. & definit. 6. §. 13. intelligitur, beatitudini summam perfectionem accedere, si quis libertate gaudeat, omnes facultates suas exigente occasione pro lubitu exercendi. Ex quo sequitur, quod quemadmodum vere beatum est, mente tranquilla rerum causas atque essentias nosse, quod actionum omnium est fundamentum; ita multo adhuc perfectiorem eum dicendum esse, qui non modo haec possidet, sed qui etiam haec ita possidet, ut sine omni impedimento vires suas exercere, circa res externas simul versari, atque ea peragere possit, quae vitae activae munus efflagitat. Praeclarum enim sapientiae munus est, recte discernere posse, quid cuique rei conveniat, & qui naturae atque gratiae legitimi sint termini; sed majus adhuc est, debita ratione omnia ad usum & actionem prudenter transferre posse. (a) Vid. de Hamel Philosoph. moral. disput. 3.

XXXIX.

XXXIX. Ex quo colligimus, *quod felicitatis studiosi percipiunt* Confest.
brevi quadam sed solida & sufficienti theoria, deinceps ad praxim Theoriam
deducendi sint. Experiendo enim discere & intelligere, potentis- praxis sub-
 simum discendi atque sciendi genus est. *Quemadmodum igitur* bet.
 vehementer illi errare dicendi sunt, qui vix ultra primas lineas
 progressi, vel salutatis tantum limine sapientiae aut scientiarum
 ascripsit, immatura studia statim in forum propellunt; cum magni pe-
 riculi sit statim evomere quod non concoxeris: (a) sic reprehen-
 dendum etiam iure mihi videntur, qui abunde perceptis solidioris
 eruditionis fundamentis in sola rerum contemplatione consene-
 scunt, atque profundissimo otio abditi suis profectibus & vitae so-
 litariae velut ad Syrenum scopulos adhaerescunt, non revolven-
 tes memoria: Neminem sibi soli natum esse, & ab eo, cui multum
 est, multum repeti posse.

(a) Epictetus Enchirid. cap. 59. (b) Luc. XII, 48.

XL. Pergimus, atque ex superioris §. 10. & 11. num. 6. statuen- Prop. 6ta.
 dum ducimus, *quod amor proprius, qui Politicis interesse dicitur* Interesse
homini sit naturalis, & indigentia atque infelicitatis argumentum. Interesse
 Cujus rei veritas satis in expedito est. Namque amor hicce est nos naturali &
 conservandi, & felicitatis nostrae augendae studium. Jam cum necessa-
 rium.
 defuitos optata beatitudine & perfectionibus necessariis nos vi-
 demus, non possumus non per naturae necessitatem nobis optare
 perfectiora, atque ad statum meliorem contendere, & ad hunc
 perducti omnibus modis operam dare, ne ad pristinum infelici-
 tatis sensum relabamur. Quo vero majori studio id agimus, hoc
 magis elucescit, nos aut ex infelicitatis statu emergere velle, aut
 postquam illud contigit, timere, ne satis adhuc in felicitatis no-
 strae statione confirmati ad statum miserum revolvamur. Qui me-
 tus cum ferme sit continuus, non nisi divini praesidii spe minui aut
 auferri potest.

XLI. Sed propius ad institutum pertinet disquirere, an qui Prop. 6ta.
 unam aut alteram beatitudinis §. 13. definitae speciem possident Bona §. 13.
 in reliquis tamen aliqua felicitate destitui possit. De quo an ali- deficiat
 quis unquam serio dubitaverit vix existimarem, nisi Stoici & Epi- possint ef-
 curus, qui Ciceronis iudicio melius fecit quam sensit, magna se separata
 beatitudinum diversarum confusione, liquidissima negissent. Sta- in homine,
 tuamus

tuentur igitur, hominem aliqua ex parte beatum esse posse, cum ex altera sit infelicitissimus. Probatur per axioma tertium §. 14. coll. §. 24. ex quo constat, quod licet omnes hæ beatitudinis species nexu quodam uniantur, tamen distincte inter se sint. Quemadmodum enim vel ipso teste Aristotele scientiam aliquam, v. g. geometricam aut mechanicam, habere & perdiscere potest, in morali autem aut Oeconomica quovis *ἀναλφασίτη* rudior: pariter & sapiens esse potest Iro pauperior, nec prodigium est sub atria latere Minervam. Quare si *Stoici* solum sapientem esse divitem, (a) dixissent, intellige in suo sapientie genere atque animi divitiis, impropiam vocem non tamen falsam sententiam proposuissent. Et si *Epicurus* secundum Gassendi (b) explicationem, sapientem in Phalaridis tauro summisque beatum dixisset, scilicet præ eo, qui rationis non est compos, nec affectus inter tormenta moderari novit, sed impatientia malum auget, incredibilia non statuisset. Jam cum adducti Auctores vel potius sectatores illorum, male separatis rebus paradoxa & absurda traderent, ut plerumque evenit, male etiam alii ab iisdem loqui didicerunt. (c)

(a) Cicero in Paradox. & 2. Offic. (b) Bernier abregé Tom. 8. Liv. r. chap. 8. pag. 151. (c) Vid. la préface de M. de Mad. Dacier sur les Reflexions morales de l'Empereur Marc Antonin.

Consect. 2. XLII. Propositio autem nostra satis aperte demonstrat, quo Solonis dictum: *ante obitum nemo beatus, veritati respondet.* Si nimirum illud de beatitudine per omnes §. 13. species summe perfecta accipias, sensum verum sustinere potest; Quem enim in hac vita perfectissima & constanti ratione tranquillam, & sanam corpore, & sapientem, & divitem, & libertate sua gaudentem invenias? Verum si aliquam beatitudinis speciem, secundum gradum aliquam (per observ. §. 25) intelligere velis, approbationem et auditorum mereri non potest.

Consect. 3. XLIII. Quemadmodum nec eorum opinio, qui postquam viam aliquam invenerunt ad obtinendam unam felicitatem, sibi adeo placent, ut nullam aliam in quovis beatitudinis specie adhibendam esse credant. Cum tamen pro diversa rei tractandæ, subjectorum, disciplinæ & circumstantiarum natura, longe diversa à priori quæ-

quandoque ratio incunda sit, in quibus dijudicandis ipsos interdum non satis instructos aut expertos videre licet. Omitto *Palamoni* (a) vanitatem, & *Hobbesii* (b) jactantiam, quorum primus literas secum natus & morituras prædicabat; alter autem adeo magnifice de suis placitis sentiebat, ut gloriatus fuerit, Philosophiam, quæ ante ipsius tempora eo redacta erat, ut glandibus venderetur, sibi debere id modicum panis, quo nunc pasceretur. Nec commemoro *Necodis* (c) amplissimam de Epicuro persuasionem statuentis, quod in illius matris uterum omnes sapientiarum atomi concurrissent. Illud monere saltem libet, male suis & aliorum rebus consulere, qui in alia quam ipsi didicerunt arte se exercent, qui proinde leviolem exandescendi rationem inveniunt, si ipsi illud Apollodori architecti ad Adrianum Imperatorem excellenter pingentem, sed de architectura grande quid verum imperite loqui volentem, responsum obtingat: *abi tu & pinge cucurbitas, hoc enim callis.* Convenit enim ut memores simus, non omnem terram ferre omnia, nec omnia ingenia, propter indolis ac propensionum diversitatem, in omnibus scientiis pari felicitate respondere, qui proinde diverso & longe alio cursu ad veritatis & felicitatis possessionem perducuntur.

(a) Svetonius de illustribus grammaticis cap. 13. (b) de corpore cap. 1. vid. Ludovicus de la Forge Tract. de mente humana §. 26. p. 26. vult autem demonstrare, animam esse materialẽm. (c) Scheuneman in Paracels.

XLIV. Certum interim sit, nullam scientiam in homine contemni debere, qua ad aliquam perfectionem & beatitudinis speciem consequendam quoquo modo adjumento est. Id quod (per §. 13. 16. & 25.) satis perspicue intelligi potest. Cogniti enim nos oportet, ut ea nobis acquiramus, quibus ad felicitatem nostram opus est. Quæ ut plurimum inter varios dispersa conspiciuntur; Quoniam igitur perfecta beatitudo colligatione rerum & scientiarum multifaria componitur, quæ vix in unum cadere potest, ea propter subsidii loco habenda sunt res & scientiæ etiam inferiores, siue quarum ope quandoque ad maxima pervenire non possumus, aut altioribus commodè uti. Proinde quemadmodum illa, ex quibus nullum plane perfectionis & beatitudinis genus sperari potest, merito:

Confecta 32
Nulla honesta scientia est contemnenda.

suis autoribus tanquam ipsorum possessio sine obreſtatione & sermionum aculeis placide relinquuntur, ita non illico aspernari merentur ea, quæ aliqua saltim ratione ad felicitatem, gradu licet inferiori constitutam, nos provehunt. Atque adeo satius fuerit unicuique scientiæ justum pretium constituere, quam in contemptu scientiarum omnium laudem consecrari. Quamquam enim gubernatori præcipuum in navi officium est, non propterea tamen inutilis statim istius censetur opera, qui in exhaurienda sentina universam industriam consumit, modo observentur ea, quæ de ordine rerum §. 29. & 34. explicata leguntur.

Propos.
7ma. Phi-
losophi in
definienda
beatitudi-
ne vera, sed
imperfecte
tradide-
runt.
Exemplo.
Platonis.

XLV. De quo cum clarissimi homines tanquam de exigui momenti re parum solliciti essent, imperfecta & velut in particulas dissecta, eorum circa beatitudinis delineatione, extitit Philosophia. Id quod summorum *Philosophorum* exemplis ostendi potest, qui Scholæ suæ *principes in definienda beatitudine, omnes, uti supra (a) diximus, veritatem attigerunt, nemo vero perfecte complexus est.* De quibus, intellecta vera sententia, (b) non difficile amplius fuerit iudicium ferre. *Plato (c)* igitur statuit, Deum ad beatitudinem homini esse necessarium. Vera sensit secundum definitionem nostram, secundam §. 13. & 29. Sed error in eo est, quod cætera corporis & fortunæ bona à beatitudine removit. Si modo sibi semper constitit Philosophus, aut recte nobis tradita sunt, quæ supra laudati autores de eo reliquerunt. In alium enim sensum mentem Platonis gallicus interpret operum ejus Dacierius (d) nobis explicat.

(a) §. 4. (b) §. 13. seqq. (c) §. 4. (d) dans l'exposition de Principaux dogmes de la Philosophie pag. 82.

stoicorum.

XLVI. *Stoici (a)* beatitudinem in virtute ponebant, quæ quidem eorum admitti potest oratio. (*vid. definit. 4. & 2. §. 13.*) Sed lapsi sunt, dum reliquis nullum pretium posuere. Ex quo fonte fluxit mixtura felicitatum, quæ à se invicem separari debebant. Manarunt etiam inde peregrinæ vocum usurpationes, quibus Cicerò in Paradoxis ornamentis suis frustra veritatem conciliare studuit.

ddat, v. g. sapientem semper esse divitem; quod solum, quod honestum, sit bonum; quasi vero sanitas corporis aut opes mala sint. Liquidò etiam confusi boni principis errarunt, quod per fallaciam non casz ut causa, virtuti, per quam ferè intellexere, quæ definit. 4. §. 13. complectimur, effecta tribuere, quæ aliunde profecta sunt. Nam quod Seneca motus aliquos diviniorez quandoque senserit, epist. 41. verba persuadere videntur, ubi inquit: *propè est à te Deus, tecum est, intus est. Ita dico, Lucili, sacer intra nos spiritus habitat, ille nos tractat, quem admodum tractatur à nobis. Bonus sine Deo nemo est.* Atqui consultum erat, isthæc verissime dicta, atque speculatione, à magnificis & cothurnatis sermonibus suis, in quibus satis felices fuerunt, distinguere, si se à confusione liberare, & ea tradere voluissent, quæ natura hominis ferè potest. Jam verò cum verborum amplitudine nimii essent, accidit ipsis interdum, quod Ciceroni, qui in Suburbano suo & hortis splendide differuit, Tusculanarum Quæstionum lib. (1) de contemnenda morte. (2) De dolore tolerando. (3) De ægritudine lenienda. (4) De animi passionibus reliquis. (5) De virtute & vita beata. Verum postquam amicorum suorum ruina, & filiz suæ mors ipsi supervenisset, *omnium adversorum nihil, ut viro dignum, tulit.* (b) Non dissimilis M. A. Mureti fuit error, qui, postquam Philosophi animum, tanquam rupem in mari positum, eloquentissime perorasset, (c) quem nulli adversitatum fluctus commovere possent, mox tamen surreptis sibi in Plauti librum-notis, se ita animo commotum fuisse, testatus est, *ut ferè ad insaniam.* (d) *reductus fuerit.* Exemplo, aliis dicere facile esse, præstare difficile, cum tamen homines exempla malint, quam verba.

- (a) Vid. §. 4. (b) Livius Histor. Lib. CXX. à Jo. Camerario ex vetusto Exemplari descript. (c) Volum. Orat. VII. (d) Scribit de se ipso Epist. 29. Volum. ult. ad Sacratum amicum suum.

XLVII. *Aristippus, Cyrenaici & Apicius* aliquis inter sensuum Aristippi delectationes & quæ placent, beatitudinem reponebant. Nec falso, si beatitudo intelligatur inferior, & quæ corpori prodest. (vid.)

(*vid. definit. 3. §. 5. §. 13. & §. 30. 32.*) Sed quod præcipuam & *ναὶ ἐφορν* dictam beatitudinem negligerent, in eo non modo erravit, sed ad stultitiam desipuit Aristippus. (*vid. §. 35.*) Qui error eo minus excusari potest in Philosopho, quo iniquius est, tanta cupiditate & perverso studio voluptates corporis prosequi, quanto sola animi bona inquiri merebantur. Videtur autem austeritate Platonis similitumque, in hoc errore confirmatus fuisse, quos etsi voluptatem sensuum in deliciis non habere perspiceret, facile tamen intellexit, ipsos voluptatem longe majorem in aliis rebus quærere, quibus splendidissimum virtutis nomen unice præterere ipsis solenne erat, & qui propterea (a) F. Quintiliano (b) reprehenduntur, quod non virtute ac studiis, ut haberentur Philosophi, laborarent, sed *vultum & vestitiam, & dis-fensientem à cæteris habitum pessimis moribus prætenderent*. Accidit igitur aliquando, ut Dionysius Siciliae tyrannus ad aulicorum voluntatem & placitum præmia dispensaret, inter quos cum Aristippus aurum, Plato autem libros cuperet, atque hanc ob rem obrectarent Aristippo, hic parem in re, alia Platonis notans affectum argutè respondit: *Plato amat libros, ego autem amo pecuniam.* (a) Quasi diceret, utroque habendi cupiditate tenemur, atque objectis tantum alterutrum cupiditates distinguuntur.

(a) La Vie de Platon. pag. 27. (b) Institut. pag. 6.

Avantia
de dicorum

XLIIII. *Midas, Caligula, Euclio Terentianus*, simi-
lisque furfuris homines divitias pro summo bono exoscula-
runt. Quæ eorum absurditas non tamen plane eos fecerit.
Nam & nos ob rationes §. 15. allatas infimum beatitudinis
locum (*defn. 5. §. 13.*) concedere debuimus opum posses-
sioni. In eo autem longe eos ratio destituit, quod non
aliter, quam muscæ & stultissimarum avicularum in mortem,
se componere voluerint, quæ aliqua luminis insoliti claritu-
dine noctu excitantur, ut circa accensas candelas circumvo-
litare possint, ad quas tamen cum propius accesserint, alas
ubi

sibi adueant, ne alius evolare possint, sed in cœnum prolapsæ pereant.

XLIX. Poëta denique cum infirmitatem & defectum Horatii rerum atque sententiarum apud Philosophos cognovisset, pronuntiavit: (a) *Nihil nos admirari debere*, idque hominem conservare beatum. Quæ sententia, si prius illa, quibus ad beatitudinem obtinendam & retinendam necesse habemus, supponeret, atque nihil admirari tanquam complementum aut consequens adduceret, satis se veritate (b) sua tueretur. Est enim admiratio ignorantie filia, atque comes, & inquietæ curiositatis mater, quæ cessare incipit, quam primum ad veram rei cognitionem admittitur. Quapropter, qui multa admiratur, parum solidi novit, & puerorum instar imperitorum perpetuo habendæ aut cognoscendæ rei desiderio torquetur, quod quieto hominis statui, præcipue verò felicitati Def. I. §. 13. explicatæ non potest non repugnare.

(a) Vid. §. 4. (b) Vid. Ant. Le Grand Institut. Philosophiæ secundum principia Cartesii, §. 6. pag. 7.

L. Sed satis hætenus de aliorum opinionibus, satis Quid etiam fortassis de generalibus circa beatitudinem monitis, ^{scendum,} quæ eæretorum quidem fundamenta constituunt, sed quæ ^{& cur plura} non tantæ utilitatis videri possunt, quantæ præ- ^{dantur,} cepta illa singularia, quæ quotidiano usu comprobata sensuum judicio discernuntur. Restabat igitur, ut quod præcipuum hominis esse debeat studium, pro modica ingenii viriumque tenuitate monstraretur, quid præcipue ad quamlibet beatitudinis speciem pertineat; & qua ratione beatitudinis amissæ possessio vel recuperanda sit, vel quomodo obtentam conservare oporteat. Enimvero cum *Theologia* animam, *Jurisprudentia* fortunas, *Medicina* sanitatem, *Philosophia* vero rationem ex professo excolendam si-

E

bi

bi sumferit ; atque adeo ardua hæc rerum consideratio' tra-
stationem longe uberiorem postulet ; ne iudicio finium re-
gundorum nobiscum agi necesse sit , aut extra fundum no-
strum egressis novam opus nunciate , cum Neoptolemo , apud
Ennium , *philosophandum hoc loco est , sed paucis.*

Beatitudinis omnis Auctori
Gloria.

ADDITAMENTA.

I.

BEne & ex vero inquit Cartesius *Epist. IV. tom. I. ad
Elisabetham Principem Palatin.* Ea desiderio-
rum genera cum beatitudine *αὐτοψαλα* i. e. in-
compatibilia sunt , quæ impatientia & incertor
comitatur.

II.

Demonstratio Cartesii de Existentia DEI ab ejus
ideæ perfectione desumpta , atque in *Meditat. V.*
& in *Objection. secund. Prop. I. geometricè pro-*
posita , non sine ratione in dubium revocata est
jam olim à *Thoma Aquinate* , superioribus annis
à *Pet. Gassendo* in *Object. V. pag. 40.* Atque à
Hamel in *Philosoph. V. & N. tom. 2. tract 3. di-*
sput. I. & nuper à D. Leibnizio , in *Celeberrimorum*
Lipsiensium Actis Erudit. An. 1684. mens. Novembr.
pag. 537. Proponitur enim definitio tantum no-
minalis , ex qua contra dissentientem nihil con-
cludi posse Mathematicis notum est.

III. U-